2

SALVATORIS ROMANI

PRESBYTERI NEAPOLITANI

AD

RAPHAELEM LETIZIA

SACERDOTALI OLEO RECENS OBLITUM

ORATIO.



NEAPOLI,

EX TYPOGRAPHIA ANGELI CODA

1824.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD RAPHAELEM LETIZIA

SACERDOTALI OLEO RECENS OBLITUM

ORATIO.

Jam erant cuncta ad hanc rerum universitatem construendam in varios ordines digesta, e quibus ista mundi machina mirabili prorsus dispositione compacta, omnibusque numeris fuisset absoluta, quam etiam ne deinceps quid detrimenti capere; neve sursum deorsumque aliquando ferri posset certissimis, firmisque legibus communiri oportuit. Et quoniam cuncta ex nihilo educta coeli, terraeque ambitu comprehensa, quippeque partim erant inanimantia, partim animantia, sed intellectu et ratione carentia; idcirco nullo pacto ad eorum auctorem cognoscendum, eique aliquem cultum exhibendum idonea, quare spectabilis haec orbis molitio fuisset quoddam templum sacerdote et sacrificio destitutum, proinde aliquod animal intelligens ratio-

tionale sub aspectum cadens erat praeficiendum, quod tam ingentis structurae miraculum, et conditoris infinita virtute ac sapientia fruentis non dubias notas intuens honore, laudibus, gratiarum actionibus, sacrificiis Supremum Divinum Dominum super omnia coram profiteri, posterosque hoc tam necessario officio fungendo imbuere posset.

Jam porro primum humani generis parentem, uti sacerdotem vitae integrum, scelerisque purum haec omnia officia obiisse inficiandum non est, cum aeterni futuri Pontificis typus fuerit, et secundum Adam adumbrarit. O si omnia eodem, quo constituta a primordiis divinitus fuere, ordine perdurassent! sed perduellis angeli collatis muneribus expoliati, et a caelesti arce deturbati merito pessimis artibus effectum est, ut noster Protoparens in vetitum nefas ruerit, et ex altissimo dignitatis gradu dejectus sit, ex quo humana natura e felicissima conditione in teterrimam versa fuit, *macies febriumque cohors terris incumbuit*. Itaque humanis rebus prostratis de toto hominum genere prorsus conclamatum fuisset, si lacrymabiles cunctorum fortunas miserans Deus pietatis numero carentis, suaeque bonitatis infinitas divitias in

hu-

humanam progeniem effundere non dignatus esset. At quoniam e tot casibus atque ruinis hominibus eripiendis omnes angelicae, humanaeque vires impares essent; idcirco ut constans fides hosti anguineis exuviis personato, data in horto manu Dei consito exolveretur, prorsus fuit necessum. Cum autem aetatem ab aeterno praefinitam coelorum orbes certa eorum conversione tulissent, e paterno divino sinu in virgineum uterum Unigenitus Filius illapsus, non virili semine, sed septiformis Numinis operante virtute humanis exuviis amictus, tanquam sponsus ab intemerato suae parentis thalamo prodiens, aeterni sacerdotii ipsi a sempiterno suo divino Genitore jurejurando collati munia obire auspicatus fuit, quo humanam progeniem e tartarei principis durissimo servitio in libertatem vindicaret, hominemque in pristinum, a quo corruerat, locum restitueret.

Jam porro humana redemptione omnibus numeris perfunctus, suo regno a secularibus et fluxis maxime distanti in hac terra condito, ecclesiasticam militiam varios in ordines dispescuit. *Nam dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores,* quos

quos inter jam cooptatum, carissime Raphael, te cerno non sine maxima animi mei laetitia, cujus supernae optionis non dubia argumenta in te, vel in tua impubescente aetate iam extiterunt; et quoniam in meo gymnasio plures annos commoratus fuisti, mihi quidem quam aliis es notior. Re sane vera, ex quo te mihi ingenuis artibus excolendum credidisti, ingenii tui acumen, arduas disciplinas intelligendi facultatem, memoriae firmitatem, et tantam scientiae comparandae cupiditatem perspexi, ut quasdam certas horas quotidie ad studium incumbendi tibimet praefinieris. Quod si aliqua de justa causa statum litterariae curae tempus tibi percurrere non licuisset, (res fortasse plus admirationis, quam fidei habitura), religione vehementer angebaris. Non mirandum igitur, si a secularibus illecebris, puerilibusque oblectamentis adeo abhorrebas, ut tibi aliquam brevem, immo necessariam animi tui relaxationem denegares, cum in diurnis noeturnisque chartis evolvendis totus eras, praemissis pia meditatione, oratione, precibus, ut e divino fonte veram salutaremque sapientiam haurires; hinc factum est, ut in animo tuo adoleverint, altasque radices egerint illae praestantes virtutes, quas lubenter prae-

praetereo, summa in Christum pietas, corporea castitas, ne loco quidem tentanda modestia, mira gravitas, patientia, comitas et caetera, quibus alios non modo tua aetate pares, verum etiam vel ipsos majores excitabas, et tuo exemplo omnes ad evangelicam vitam sectandam impellebas. Utinam hanc ipsam vivendi rationem imitandam sibi proponerent, qui ecclesiasticae militiae se manciparunt, ut noster Clerus, qua scientiis, et doctrinis, qua moribus, ac dominici gregis uberrimo pastu magis magisque semper inclarescat. Hoc loco culpa non vacarem, si unum silerem, nimirum in te oratoriae artis praeceptis, et philosophicae disciplinae operam navante tantum animarum studium, quantum tua aetas sinebat, exstitisse, ut in quibusdam privatis domibus octo dies spiritualia exercitia, non sine audientium utilitate, dedisse memoria complectar. Quod sane ad ecclesiasticam militiam erat praeludium, et quoniam angelicum juvenem Aloysium innocentiam, simulque poenitentiam sociantem referre studebas; idcirco ut ille societati Jesu nomen dedit, ita etiam tu neapolitano Clero adscribi concupisti; et quoniam philosophicum cursum remetiri exoptabas, ad cl. virum Josephum Capocasale ad-

vo-

volasti, a quo ad facultatum doctarum apicem perductus fuisti. His igitur scientiis tanquam praesidiis munitus ad Archiepiscopale lyceum demigrasti, ut te ad dogmaticas disciplinas perdiscendas conferres, et vix dici potest, quanto plausu, quanta cunctorum hilaritate exceptus fuisti; et quoniam ingenii tui, et omnigenarum doctrinarum, in quibus jam versatus fueras, fama longe, lateque percrebuerat; idcirco brevi communi suffragio, te uno reluctante, primum philosophico, deinde dogmatico circulo praeesse coactus fuisti. Te porro in ecclesiasticis castris tirocinium agente quot sollicitudines, difficultates, obices tuum animum obsedere, ut a militia jam suscepta deterrerent, atque adeo te prorsus avellerent. Sed tantum abfuit, ut tuam constantiam fregerint, quin magis eam confirmarint, itaque ab omnibus tibi negotium facessentibus solutus, ad sacerdotalem tandem dignitatem provectus, tuique voti compos factus es, cum in Regis regum commilitones cooptatum te vides. Et quoniam coelestibus armis ecclesiastica militia te satis instruxit ac munivit; quid tibi sit agendum, ab Apostolo ita praecipiente admoneris: *labora sicut bonus miles Christi Jesu*. Quae igitur in

tuo

tuo jam exacto clericatu non sine animarum commodo gessisti, levia certamina fuere, nunc macte virtute miles, signa cum callidissimis hostibus pro Jesu Christi spiritali regno conferre debes, et vigiliis, jejuniis, precibus, oratione, ut semper assuesti, nunc quam maxime tibi collaborandum est, ut sacro fonte renatos ab hostium potestate, in quam devenerunt, eripias. Enitere itaque, ut ex illorum semine sis, per quos salus in Israel facta est, nec tibi sunt imitandi, quidam veteris foederis sacerdotes, qui mavortiam, qua carebant, virtutem ostentare, praeliumque sine consilio committere ausi, turpiter inter pugnandum occiderunt. Et quoniam in ea tempora incidimus, queis superbiens philosophia, et licentia non ferenda christianam religionem a sedibus evertere conituntur; illud pro certo habeas velim, omnes conatus, a quocumque fiant, ad irritum cadere, cum hoc christianum aedificium certissima sui divini parentis pollicitatione imitatur. Quod etsi ita se habeat, fatendum tamen est, christianam rempublicam hodie quam maxime apostolicis defendendam esse viris, ingenio, scientia, doctrina subactis, qui verbo et scripto christiani nominis infestissimos hostes fun-

de-

dere ac fugare valent. Age igitur, carissime Raphael, ad certamina te para, ingenii tui vires exprome, caelestibus armis utere, et cum tartarei principis sectatoribus in arenam descende, et tuarum pugnarum, tuorumque sacerdotalium laborum haec partenopea Ecclesia spectatrix erit, et de tuis partis victoriis, deque adversariorum copiis profligatis tibi gratulabitur; ut exacto feliciter tuo aevo una cum Apostolo gentium quondam dicere queas: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illam diem iustus iudex.* Itaque suavis Raphael, ubi apostolica stipendia confeceris, opimis animarum sacro fonte renatarum spoliis hostibus abreptis onustus, et omnia viriliter pro aris perpessus, laureolis tempora redimitus, ovans quo tot innumeri evangelici commilitones, tandem aliquando abiturus, ut ubi aeternus Pontifex illic, et tu ejus fidelis servus et prudens minister.

Antequam vero extrema manus huic inconditae lucubrationi accedat, duo sunt mihi superdicenda, quorum unum tui, alterum interest mei. Ad te quod attinet, etsi nullis te monitis egere intelligo; quoniam tamen Hip-

Hipponis praesul pro sua matre iam defuncta, sacrum in altare faciens, fundensque pro ea preces Deum affatus, ita dicebat: *et vae etiam laudabili vitae hominum si remota misericordia discutias eam*. In sacerdotali ergo tuo ministerio te ipsum diligentissime concutias oportet, et perpendas qua mente, quo consilio agas, ut apostolici tui labores in supernam Jerusalem immittere te possint. Qnamobrem tibi ante oculos obversentur velim antiqui romani fori Arpinati patroni haec verba, notatu digna in sommio Scipionis occurrentia, quae certum iter ad perennem felicitatem monstrant: accipe itaque, et alta mente reposta, maneant haec dicta; Africani majoris inter Deos relati inducti ab oratore nuper memorato ita Scipioni minori loquentis: *igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in proemiis humanis spem posueris rerum tuarum suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus*. Hactenus, quae protuli, satis forent, at animi pendeo, utrum, quod caput esse videtur, eloquar, an sileam, quid? Vide mi Raphael, ne vehementiori, quam par est, animarum studio ad istituendas innu-

nuptas, viroque maturas contubernales, vel ad earumdem regimen suscipiendum rapiaris. Id enim quam tuae aetati simplici ac integraeosit periculosum intelligere tibi pronum erit, quapropter, ne aliorum consilia, nec cuiuscunque iussa te auferant, vellem. Nunc a te delabatur oratio ad me, quatuor et septuaginta annos natum, solarem lucem internubila aegre me cernere posse non ignoras, frigidamque mortem in singula momenta instare mihi persentisco, et omnium miserrimum, et maxime deplorandum est hoc, quod innumerae meae immanis ponderis iniquitates in aeterni ignis oceano, me divina exigente institia, deprimendum esse vociferant; quapropter est, quod totis artubus contremiscam. Quid igitur consilii mihi capiendum? desperationi serviam? absit. Nam Dei hominumque mediatorem pro nobis apud Patrem munere fungentem, eiusque intemeratam Genitricem sontium asylum habemus, atque secundum utrumque ad tuam charitatem studium non temere confugio, et non sine lacrymis oro, ut unum ante alterum post meum obitum incruentum sacrificium pro me offeras, et mihi praesentem Divinum Judicem assidua tua deprecatione facias, qui ad ignoscendum quam in peccantes resi-

resipiscentes animadvertendum proclivior est. Quod si aeterni Sacerdotis infinitis meritis Deiparae patrocinio, ac tuarum deprecationum accessione fiet, ut a me propulsentur sempiterni ardores, et rationalis mea navicula ad permanentis caelestis patriae ridentes oras appulerit, inque perennis otii portum intrarit, tum vero peractis gratiarum actionibus clementissimo Patri per Jesum Christum, eiusque Sanctissimam Matrem, e latinorum vatum principe mutuans hunc versum, ita tibi cantabo: *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.*

Ne amplius te distineam, et molestior aequo fiam hanc inconcinnam oratiunculam obviam tibi prodeuntem fronte serena excipe, quae si tuo obtutu non est digna, certe meae in te observantiae, atque benevolentiae tutum pignus, ac monumentum erit.

628000

Napoli 15. *Dicembre* 1824.

PRESIDENZA DELLA REGIA UNIVERSITA' DEGLI STUDJ, E DELLA GIUNTA DI PUBBLICA ISTRUZIONE.

Veduta la dimanda del Tipografo Angelo Coda, colla quale chiede stampare una breve orazione del Sacerdote Romano, intitolata: *Ad Raphaelem Letizia sacerdotali oleo recens oblitum Oratio*.

Visto il favorevole rapporto del Regio Revisore Sig. D. Donato Gigli.

Si permette che l'indicata Orazione si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO.

Il Segretario Gen. e membro della Giunta
Loreto Apruzzese.

Digitized by Google

Digitized by Google